46 ¶ Indorum Parochus in populis quos vocant in Viſita deſignet aliquos Indos,& eos inſtruat, vt poſſint Baptizare tempore neceſſitatis, ne forte paruuli abortiui, vel Infirmi ſine Sacramento Baptiſmi diſcedāt. Et illi ſint acriores ingenio, & qui nunquā inebriantur, quos ſepe requirat demodo quo Baptizant, & ſi deffectum nullum inueniunt in Baptiſmo commiſiſſe, non curent eos denuo Baptizare. Faciant etiam,vt eliciant actum coram ipſis volendi ſemper facere ꝙ facit Eccleſia quoties eos Baptizare continget, quia hæc intentio ſufficit, vt dicunt Doctores. Dato etiam,quod Indus ſic inſtructus non verè Baptizaſſet, ſi paruulus ad annos poſtea deueniret diſcretionis, optime poſſet ſaluari, quia pro Baptizato ſe haberet, vt patet ca. Apoſtolicam de Presbytero non Baptiza. Si etiam decederet ante annos diſcretionis, non damnaretur ſecundum Alexandrum Halen. & Sanctum Thomam,vt piè creditur. Namq; ſi ſic Baptizatì deberent iterum Baptizari ſub conditione ſequeretur, ꝙ Baptizati, ab obſtetricibus, eſſent ſub conditione Baptizandi, cum ſint illiteratę & facilius poſſunt errare in forma,

quam